

h. 105, 7. X2346247

II  
Ya  
1566

Q. D. B. V.

DE DOCTIS EPHORORVM CHEMNITIENSIVM FILIIS  
A G I T

ET

VIRO SVMMME REVERENDO, AMPLISSIMO,  
DOCTISSIMO,

D O M I N O

M. CHRISTIANO SIGIS-  
MVNDO  
GREENIO,

HVC VSQVE APVD KESSELSDORFFENSES PASTORI  
VIGILANTISSIMO,

NVNC ROCHLITIENSIVM SVPERINTENDENTI  
GRAVISSIMO,

*AFFINI MAXIMOPERE COLENDO,*

NOVOS HONORES, CIRCA IPSA SACRI MVNERIS  
AVSPICIA,

DOMINICA I. post EPIPHANIAS, A. O. S. MDCCXXXIV,  
CANDIDE GRATVLATVR

M. Ioannes Gabriel Beilius,

Con-Rect. Lyc. Chemn.

---

CHEMNITII  
LITTERIS STOESSELIANIS.

O. D. B. N.

DE DOCTIS EPICORVM CHEMISTENS VM ELIS  
A G I T


ET  
FRO ANNAE RERENDO, NARRAVIMO  
DOCTISSIMO


D O M I N O

M. CHRISTIANO SIGIS

*Horat. Libr. IV. Od. VIII.*

Dignum laude virum Musa vetat mori.





**N**on exiguam nonque extremam obligationis erga patriam esse ego quidem existimo partem, ut quacunque oblata occasione ejus civiumque nostrorum memoriam servemus atque eam ab oblivione, communi ista labe & peste, vindicemus. Latissimus consideraturis obligationem in patriam pateret hoc loco campus, in quem posset facile excurrere, qui penitiorum rem istam intueri vellet oculo, quique varias hujusmodi obligationis circumstantias justa expendere vellet lance (a). Sufficit impresentiarum, dum Tu, Vir Summe Reverende, Affinis multis mihi nominibus Colende, sacrum sacrorum Antifitis apud Rochlitenses munus bono cum Deo auspicas, jucundam quorundam civium Tuorum memoriam recolere & nomina ipsorum posteritati tradere venturæ. (b) Excitat omnino eam ipsam obligationem peculi-

A 2

(a) Vid. PVFENDORFIUS in Diss. de obligatione erga patriam, idem de J. N. & G. Lib. VIII Cap. II. HUGO GROTIUS de J. B. & P. Lib. II. Cap. 5. IO. LOE MEIERS Diss. Philol. Decade II. Diss. II. (b) Nominavit quosdam doctos Ephor. Chemn. Filios Rect. Sch. Ch, DANIEL MULLERVS, in Prog. quo A. 1728, valed. G. S. *Greenis* indicarat.

culiaris patriæ amor, quo omnes trahimur, jucunda antea actorum  
 recordatio, qua delectamur singuli. Dixit olim et recte quidem  
 dixit Sallustius: *Sæpe audiui Q. Maximum, P. Scipionem, præter-*  
*ea civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere; cum majo-*  
*rum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtu-*  
*tem accendi: scilicet non ceram, neque figuram tantam vim in sese*  
*habere, sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregiis viris*  
*in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam*  
*atque gloriam adæquaverit.* (c) Hominis iste naturam procul dû-  
 bio exiit bestiasque imitatur, at non imitatur, sed superat potius  
 earum feritatem ac immanitatem, patriæ qui deponit amorem,  
 eam qui infestat odio. *Tantum est in patriæ nomine veneratio-*  
*nis, ut, quantiscunqve affecerit nos injuriis, ad concoquendum*  
*dolorem nostrum valeat ea obligatio, iste amor.* (d) Unde patriæ  
 irasci nefas ducebat strenuus belli imperator, Epaminondas, apud  
 Nepotem, (e) & Pythagoras interrogatus, qualem se gerere oport-  
 eret erga patriam ingratham? *ut erga matrem,* prompte respon-  
 dit. (f) Beneficia quippe ex altera parte, quibus identidem a primis  
 inde incunabulis affecit & propemodum obruit nos patriæ, imis in-  
 fixa hærent medullis & nulla obliterare ea potest oblivio, nulla ob-  
 teurare ætas. Non quidem fugit me tritum istud vulgatumque  
 prouerbium, *quod patria sit, ubi bene est,* licet uel maxime ibi  
 peregrinus sis & hospes, id quod ex *Oweni* saltem patet exemplo  
 ita olim canentis:

*Illa mihi patria est, ubi pascor, non ubi nascor,*

*Illa ubi sum notus, non ubi natus eram.*

*Illa mihi patria est, mihi quæ patrimonium præbet,*

*Hic, ubicunqve habeo, quod satis est, habito.* (g)

Fuit hæc quoque mens eorum quondam sapientum, qui  
 a patria male habiti & aliorum se recipere erant coacti, quo sola-  
 mine resecti quasi fortunæ ludibria & aduersæ fortis casus feliciter  
 sunt

(c) SALLVST. Bell. Jug. Cap. 4 (d) PVFENDORE. loc. cit. conf. M. IO. PAVL.  
 GVMPRECHTI Diff. Moral. de Obligat. hom. erga patriam. Lips. A. 1700.  
 (e) Cap. 7. (f) STOBÆUS Serm. 37. (g) OWEN, Lib. III.

sunt adspersati. Verum enim vero quidquid etiam ore sint facti olim, aliud tamen senserunt mente, aliud fuit pectoris votum. *Qui felicissime in alia civitate degunt, etsi omnia ex votis ipsis cedant, hoc tamen vel precipue sibi deesse putant, quod non in patria habitent, sed peregre agant.* (h) *Nostra non refert, quanta quamque clara sit patria, sed quod sit nostra* (i), unde Poëta:

*Nescio, qua natale solum dulcedine captos  
Ducit & immemores non sinit esse sui.* (k)

Hic ipse itaque patriæ amor, hæc ipsa obligatio, impulit me, ut hancce qualemcunque opellam horis subcisivis exararem Tibique eam, Vir Spectatissime, cum integerrimo omnigenæ salutis voto offerrem, quo propior patriæ, quæ si non genuit, saltem a teneris Te educavit, nunc redderis urbi. Fideliter huc usque & magna cum cura, magno cum fervore, magna cum approbatione omnium, sanctum Tuum Kesselsdorffii prope Dresdam explevisi munus, magis arduum autem Tibi, adnuente Deo, demandatur officium, Præfulis nempe apud Rochlitienses. O! sentis ex voto benedictionem beatissimi Parentis Tui, quam moriens filiis filiabusque impertivit suis. Filius es Viri rerum sacrarum notitia apprime instructi, concionatoris strenui, integerrimi, cujus Theologi Gravissimi vestigia huc usque legisti gnauiter & impostherum leges sedulo. *De Doctis autem Ephorum Chemnitensium filiis, quæ dissero, ut Tu ipse, Ephori Chemnitensis filius egregius, æqui bonique consulas, enixe rogitō*

*M. FRIDERICVS PHILIPPVS BALDVINVS* natus est Dœbele, Patre, loci Pastore eximie eruditionis intemeratiquæ candoris, *Bal. basare Balduino*, postea Theologiæ Doctore celeberrimo, (l) matre *Clara Sophia*, cujus tamen cognomen indagare mihi haud licuit, cujusque familiam me nescire fateor. Avum veneratus est Noster virum rerum sacrarum cognitione nemini secundum

A 3

Theo.

(h) LVCIAN. in Encom. patr. (i) SENECA Epist. 66. (k) OVID. ex Ponto Lib. I. Ep. 3. (l) de Patrie, *Balbas. Balduino* scripsit GOETZIVS in den Döbelischen Jubel. Actis p. 52. 53. TOB. SCHMIDIVS in Annal. Cygneens. p. 400. 591. seqq. SERPILIVS in der Fortsetzung der zufälligen Lieder-Andachten, p. 145.

Theologum perquam strenuum, Wittebergenſium decus & ornamentum ſplendidiffimum, *D. FRIDERICVM BALDVINVM*, cujus merita laudes meas ſuperant. (m) In prima ſtatim adoleſcentia, infantia annis vix ſuperatis, Chemnitium a Parentibus optimis fuit delatus, cum Graviffimo Patri inſigne Ephori in urbe noſtra demandaretur munus. Doebelæ infans tenellus iniquæ fortunæ terrores, bello iſto tricennali regionem noſtram devaſtante, expertus eſt, ſi ob ætatem teneram ſentire mala poruit, ſiquidem Parentes, ut militum evitarent furorem, latebras cum pignoribus aliquando quæſere ſunt coacti. Quoniam ſtudia jam a prima pueritia illum cum Cicerone delectarunt, avide iſta imbibit in Schola Cygneenſi, foecundiffima ingeniorum matre, quorſum Parens ad parile officium abierat, in Academia Wittebergenſi ea perfecit. Exquiſita eruditionis theſauri acquiſiti latere diu non poterant, ſicut vino uendibili non opus eſt hedera, qua de cauſa primum Concionator Aulicus *Dn. Stenonis Bielcke*, Comitum & Legati Svecici, aliquot annis vero elapſis Diaconus & tandem Archidiaconus Haynenſis rite vocabatur, de quibus muneribus ſacris præclariffime, quamdiu vivere licuit, meruit.

**CHRISTIANVS ADOLPHVS BALDVINVS**, frater *Friderici Philippi* germanus, itidem Doebelæ aura vitali frui cœpit, iisdem Parentibus editus. Inſtituit eum Cygnea, perpoliit ejus ſtudia Witteberga, honores tribuit & egregia diligentia præmia perſolvit Heyna. Quod de Iugurtha dicitur, *eum nulla arte cuiquam fuiſſe inferiorem*, (n) id majori jure competit Noſtro, quod in nulla arte & inprimis in jure dicundo nemo quisquam præriperit ei palmam. Sic enim liquido conſtat, quod fuerit vir juris ſcientiſſimus, Academix Nat. Curioſ. & Societatis Regiæ Anglicanæ Collega, dictus Hermes, nec non Principis Electoris Saxonix Præfectus Haynenſis, indagator laborum

(m) de Avo, *D. Frid. Balduino*, egerunt SPIZELIVS in Templo honoris, p. 77. ſeqq. WITTE in Memoria Theol. Decad. II. p. 270. ſeqq. D. IO. HIMMELIVS in Threnologia quadrigæ Theologor. SERPILIVS loc. c. p. 145. - 169. Das Gelehrten-Lexicon, p. 222. (n) SALLVST. in Bell. Jug.

rum chymicorum exercitatissimus, inventor Phosphori Hermetici solidi. (o) Perperam itaque eum quidam eruditorum dixerunt medicinae Doctorem. (p) Quamdiu vixerit me nescire profiteor, quod Haynae autem placide obdormiverit, extra dubitationis aleam est positum.

**M. GOTTLIEB BALDVINVS**, tertius Ephori nostri filius egregiae indolis praclarissimaeque famae, Zwiccaviae natus, in Gymnasio Ratisbonensi operam navavit literis elegantioribus reliquisque artibus liberalibus, quae in urbe amplissima Excellentissimus Patrens Superintendententis, Consistorii Assessoris & Scholarchae per quadriennium functus est munere. Optime praeparatus, post Celeberrimi Patris beatissimum obitum, ad Wittebergensia is properavit tempe & aliquot interjectis annis Professor constituitur Gymnasii Ratisbonensis, quod antea eum docuerat. Non solum vero studiosae pueri sedulo propinavit artes in Schola, sed brevi post etiam in templo gregem Dei puriorem puriore doctrina imbuere ovesque demandatas nunquam non fideliter pavit.

**IOANNES BALTHASAR BALDVINVS**, quartus *Balthasaris* filius, qui, postquam, quae Gymnasium Ratisbonense & Academia Wittebergensis instillayerat, egregie addidit, Pastor factus est Ortanti fratresque natu majores vivendo superavit omnes, quo in loco etiam senio & labore confectus diem supremum obiit. (q)

**DAVID DRABITIVS**, non multos quidem vivendo explevit annos, laude tamen propterea sua nimine est privandus. Chemnitii lucem adspexit die decimo nono mensis Augusti, ipso seculo praeterito ineunte, post natum Christum quippe Anno supra millesimum sexcentesimo. Habuit patrem summe Reverendum, *D. Laurentium Drabitium*, Ephorum nostratem, matrem exosculatus est *Mariam Betschiam*, *Erasmi Betschii*, Praetoris quondam Leisnigensis, filiam, virtutum gloria conspicuam. Avus ei fuit *Laurentius Drabitius*, Rector dictae urbis industrius, postea Pastor

(o) vid. Act. Erud. Ao. 1682. p. 36. (p) vid. SERPIL. in den zufälligen Sieder-Andacht.  
(q) SERPIL, l. c. plura exponit de hujus Ephori filiis doctissimis.

Pastor animarum Leipnitii, avia vero *Sibylla Wagneria*. Docuit *Davidem* Schola nostra prima lingvarum rudimenta,\* poliitejus ingenium Porta, ultimam adjecit limam Lipsia, quo Anno millesimo sexcentesimo decimo octavo se cum laude contulit. Patria urbs sibi eum Lipsia redeuntem vindicavit gregemque erudendum ei demandavit in Æde Diuo Ioanni dicata. Suscepit sacrum hocce munus septimo Iulii die Anno millesimo sexcentesimo tertio & trigesimo, sed, eheu! non nisi per unicum mensem verbo Dei gregem suum erudiit, post pauculas hebdomadas morte præmatura e statione sua evocatus. Pestis, quæ num' minaciore fuerit an periculiosior, nescio, concionatorem huncce juvenem in vegeto ætatis flore infecit & absumsit (r).

*M. TOBIAS ENGELIVS*, (s) prognatus est parentibus in urbe nostra amplissimis, Patre nempe *M. Christiano Engelio*, Ephoro, matre *Maria*, vidua *B. Jo Krebsii*, Superattendentis Annabergensis pia, vitamque hanc ejusmodi tempestate est ingressus, qua urbs nostra seculo præterito hostium insultus, pestis violentiam, annoæ caritatem incendiique diritatem timuit, genuit, abhorruit, ploravit. Avo gavius est *Mauritio Engelio*, Prætoro Chemnitienſi spectatissimo, avia *Maria Schoberia*, Præfecti Hartensteinensis, filia castissima. Docuit eum in pueritia Schola nostra, sed docuit iterum Scholam hanc nostram, Rectoris munere solerter fungens. Pulverem scholasticum sustinere cœpit Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo. & ita quidem sustinuit, ut discentium sedulo promoueret utilitatem. Notatu omnino dignum esse cenſeo, quod eo ipſo tempore quatuor Angeli & unus Rupertus scholasticam instituerint pubem, *Tobias Engelius* nempe, Rector, *Io. Engelius*, Con. Rector, *Mauritius Engelius*, Tertius, Pastor demum & Superintendens apud Rochlitienſes meritiſſimus, *Georgius Rupertus*, Cantor, *David Engelius*, Bac-  
calau-

(r) vid M. G. H. Historische Nachricht von der Kirche zu St. Joh. vor Chemnitz, p. 47. (s) Dn. ADAM DANIEL RICHTERVS, R. & Schol. Annæb. clarissimus, in Schediasm. von den Kirchengeschichten in der Stadt Chemnitz, p. 35, dicit nostrum *Tabium Engeli-um*, quod sine dubio autem erratum est typographicum.



calaureus. Matrimonii fœdere junxit sibi die vigesimo Novembris Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto virginem lectissimam, *Euphrosynam*, Dn. *Io. Gastelli*, Hæreditarii in Bœrnichen & Præfecti Sachsenburgensis, filiam ornatissimam. Commutavit postea suum docendi munus in schola cum publico docendi munere in Æde Divo Petro apud Freybergenles sacrata ibique Dei regnum propagavit ex voto (t).

*M. ZACHÆUS CHRISTOCRATES FABER*, filius fuit *M. Zachæi Fabri*, Superintendentis, & *Mariæ, Burchardi Wittichii*, mercatoris Milenenfis, filia, nepos vero *Zachæi Fabri*, Rectoris Scholæ Torgaviensis clarissimi. Gaudebant in sinu pii parentes, quod ipsis sit *ingenui vultus puer ingeniuque pudoris* (u), adeoque in educando eo omnem collocarunt operam, omne studium, omnem curam. Adultus & sapientiam divinam probe doctus animarum cura ei in pago Crossen fuit demandata, quam & tamdiu sustinuit, donec Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo mense Junio vocaretur Chemnitium, ut in suburbio esset in templo, cui Ioannes dederat nomen, fidus puri cœtus Pastor, fuit vero per complures annos, & sanctiori doctrina intemerataque vita gregem suum erudit. Arcto connubii vinculo Anno a nato Christo millesimo sexcentesimo trigesimo quarto junxit sibi sexus scæminei decus, *Mariam, Io. Riedelii*, Senatoris apud nos, filiam, quod conjugium conjugalis amoris pignoribus non caruit. Filius, cui nomen erat *Theophilo*, Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto Patri senio confecto laborum sacrorum adjugebatur socius jugemque laborem cum Patre peregit gnaviter, qui & Patri A. millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto die septimo Augusti demortuo, sex & sexaginta annos nato, in officio demum successit sacro. Quantis & parens & filius distracti sint curis, quantis acli terroribus, cum filius natu minor, *Zacharias*, jurium cultor, violenta morte peremptus, Lipsia Chemnitium esset deportatus, eloqui vix possumus. Lacrymis temperare non potuit

B

fra-

(t) vid. *MOLLERI* Theatr. Freybergenf. (u) *JUVENAL*, Sat. XI.

frater, cum post concionem funebrem parentaret ei publice, quæ parentatio quoque cum concione ipsa typis est exscripta. Recte de gemebundo Patre poterat dici, quod sit *homo antiqua virtute & fide* (w). Bene quadrabat in fratrem fratris amantem, quod *nemo sit amior, quam frater fratri* (x). Epitaphium parieti in cœmeterio nostro Ioanneo affixum, ubi filius gladio transfusus ad latus avi sui jacet sepultus, dignum est, quo recensatur: *Sterblicher gehe nicht vorbey, liefs und bedencke wohl zu deinem Wohl. Nicht weit von diesem Stein ruhe ich Zacharias Faber, geb d. 1. Jul. 1642. von Gott- und Ehrliebenden Eltern, Titl. Herrn Zachao Christocrate Fabro, Seelen-Hirten bey dieser Kirche, und Fr. Marien, geb. Riedelin, von denselben in Gottesfurcht und Tugend aufgezogen, denen Studien obzuliegen in unserer Stadt-Land- und anderen ausländischen Schulen, auch endlich dieselben zur Richtigkeit und Wichtigkeit zu bringen, auf die hohe Schule zu Leipzig d. 30. Sept. 1661. geschicket worden; aber ô des elenden und plæzlichen Endes, so allda d. 9. Jul. 1662. mich überfallen! Es überfielen mich unbewaffneten unvermuthet erliche Studenten, vielmehr Cains Brüder, die schlugen und verwundeten mich, und einer, den Gottes Rach-Auge schrecket, entlebte mich in dem 20. Jahr meines Alters. O Sterblicher, lebe christlich, richte nicht, wer weifs, wie, wo dir dein Herze bricht* (y).

**WOLFFGANGVS FVSIVS**, *Wolfgangi*, Ephori, filius, cuius pater spectatissimus Colditii & Chemnitii statim post repurgata a Luthero sacra pure gregem Dei docuit, quin & primus docuit. Noster cum ipso ineunte seculo inter vivos esse cœpit & in illustri Porta in adulta ætate liberales professus est artes (z). Num & idem antea doctoris in schola nostra administraverit munus, dum *Wolfgangum Fusum* quendam Anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto Con. Rectoris munere ornatum deprehendo, id, certis rerum testimoniis destitutus, perluadere audeo nemini. Laudat præter-

(w) TERENT. Andr. Act. III. Sc. 3. (x) SALLUST. Bell. Jugurth. Cap. 15. (y) Herzmanna loc. cit. (z) PERTUCH. in Chron. Portens. Lib. II. Cap. 12.

terea cum Pertuchius, notissimus rerum Portensium scriptor, tanquam *praesidium & decus camoenarum*, quas plus oculis suis dilexerit. Absterfit ei post multos exantiatos labores scholasticos scholasticum pulverem & sudorem Lipsia, dum Senatus illius florentissimæ urbis *Fusu* sibi expetiit dexteritatem, jubens, ut esset ei a libellis, ceu loquuntur jurium periti, cui nutui obtemperavit & cui muneri demum est immortalus.

CHRISTIANUS SIGISMUNDUS GREENIUS, filius natus maximus Theologi dexterrimi, *B. Dn. D. Georgii Sigismundi Greenii*, cujus memoriam in urbe hac nostra patria nullum unquam oblitterabit tempus, cujus molliter ossa in Æde urbana cubent. Genuit Te, Affinis summe Reverende, Amice mellitissime, Parens Tuus excellentia & laude munerum post fata superstes, Dobriluceæ in Lusatia inferiori, peperit Te Mater indulgentissima, sexus sui decus, *Susanna Christiana*, ex nobilissima *Rivinatorum* Lipsiensium gente orta, Socrus mea omni honoris cultu Devenenda, post novi hujus seculi initium (aa). A puero dum nosse Te licuit mihi, eo certius eoque firmiter ego de eruditione moribusque Tuis præstantissimis perhibere possem testimonium omni furo & adulatione plane carens, nisi egregia Tua Spectata mihi esset comitas, quæ laudare mavult, quam laudari (bb). Quanto fervore Te currentem in litterarum stadio vidit Schola Chemnitensis sub moderamine *M. Danielis Mülleri & Christiani Henrici Weissii*, quorum merita posteritas semper est decantatura! Quanta industria sacra pertractasti Wittebergæ pariter ac Lipsiæ studia! quantam in rebus sacris comparasti Tibi dexteritatem, notitiam, soliditatem! Prostant eruditionis Academicæ monumenta, Disputationes sub præsidio Magnifici *Wernsdorffii*, Hospitis

(aa) Vocavit B. Ephorum, *D. Greenium*, Fac. Phil. in Acad. Witt. Adjunctum, Lucca, ut esset Archidiaconus, non multo post erat Pastor Dobriluceæ & simul illustrissimæ Ducis Martisburg. *Erdmud Dorobee*, a confessione & concionibus Aulicis, postea Eph. Chemn. (bb) Hanc laudem, quam Schola debuit Nostro, exponit satis testim. B. MULLERI in Progr. quo ad valedict. d. 7. Id. Apr. 1723, invitavit.

& Præceptoris Tui post mortem nunquam morituri, *de inoycau-  
u a Christo nobis relicto, ad 1. Petr. II. 21.* Witteb. 1726. & sub  
auspiciis Excellentiss. *Carpzovii*, Lubecensium jam Præfulis, *de Deo  
caliginis incola, ad 1. Reg. VIII. 12.* Lipsiæ 1728. applaudentibus  
omnibus habitæ, prostat etiam Tractatus insignis *quatuor novissi-  
ma* exacte nobis exponens, ut sat multa fileam carmina eruditissima  
a Te feliciter exarata. Magna fidelitate Tu notitiam, quam ac-  
quisivisti Tibi, sacram auditoribus Tuis exposuisti Kesselsdorffensi-  
bus, & quo prior fuisi Senatui Ecclesiastico, qui Dresdæ est, eo  
notior brevi facta est ei Tua eruditio, unde dignum Te judicant  
Mæcenates, qui Antifitis sacri ornarent Te munere. Eja! applau-  
do huic felicitati Tux & candide precor, ut & Rochlitii Tibi bene-  
fit, ut regnum Dei ex voto promoveas, ut opera nigri genii di-  
spellas & laudem nunquam marcescentem acquiras, verbo, ut ve-  
stigia beatissimi Patris, Soceri mei Oprimi, accurate legas. Vive  
cum *Seysferthia* Tua, conjuge Suavissima, vive cum prole jucun-  
dissima, vive Deo, vive Ecclesiæ, vive Musis, vive Tuis, vive & mihi!

**GEORGIUS SIGISMUNDUS GREENIUS**, vir ejusdem cum Pa-  
tre beatissimo nominis, qui multum quoque ominus nomini egre-  
gio clarissimoque inesse non inique secum reputavit semper,  
unde & paternarum virtutum perpetuus fuit admirator, imi-  
tator. Eluxit in eo adhuc puero ingenium docile & magna  
pollicens, neque bona Præceptorum Chemnitensium, Witte-  
bergenium Lipsiensiumque a vero hac in re aberrarunt de eo  
omina. Remunerata est huc usque Schola Misnensis oppidana  
ejus laudabilia & eruditis notissima studia, ubi Con-Recto-  
ris primum, postea Rectoris optime functus est muneribus &  
adhuc, si alterum specles, solerter fungitur. Remunerabuntur  
dexteritatem ejus, nisi me omnia fallunt, futuro quoque tempore  
munera ampliora, splendidiora, graviora. Castam is in conja-  
gio felicissimo exolcatur conjugem, *Sidoniam Fridericam  
Meischneriam*, Heynitiensem, cujus amore ut delectetur diu,  
ego candide precor. Tot præter eruditissimam *de Theologis*  
Gra.

*Græcorum I. de Græcorum Sacerdotibus Theol.* Disputationem, quam luci publicæ dedit Lipsiæ A. 1733. prodierunt Programmata Scholastica, ceu dici solent, tot ejus extant Carmina nitidissima, ut, si recensenda essent omnia, curta hæc pagella ea vix caperet. Sequentia tantum hic nominare lubet Progr. quorum sunt tituli: *De Theologis Græcorum II. de Græcorum Poëtis Theol.* Lips. 1736. *de Theologis Græcorum III. de Græcor. Philosophis Theol.* Lips. 1738. *de Luco Religioni ab Abrahamo consecrato, ad Gen. XX. 33.* Lips. 1735. *de Vite in Templo Hierosolymitano a Romanis reperta, ad Tacit. Hist. L. V. c. 5. §. 10. Flor. L. III. c. 5. p. 30.* Lips. 1737. *de Clypeis in loco sacro suspensis, ad Ovid. Metam. XV. 164.* Lips. 1737. *de Fascibus Laureatis M. T. Ciceroni a C. Cesare concessis, ad Cic. Or. pro Lig. III. §. 7.* Lips. 1738. *de Aratro hostili muris ab insolenti exercitu impressis, ad Horat. L. I. Od. XVI. 20.* Lips. 1738. *de Flore & Felicitate scholæ exemplo majorum pietatis & doctrinæ gloria decorandæ, ad Sallust. B. C. c. XII. Misen. 1738.* *de Fauno, mercurialium Virorum custode, ad Horat. L. II. Od. XVII. 29.* Misen. 1739. *de Regibus sacerdotibus s. sacerdotio cum Pontificatu conjuncto, ad Justin. L. XXXVI. c. II. Hebr. VII. 1.* Misen. 1739. *de Judæis noctibus continuis bustum Julii Cæsaris frequentantibus, ad Sveton. Jul. Cæs. 84.* Misen. 1739. *de Victis & captivis hostiarum more mactatis, ad Sveton. Octav. 15. Ovid. Trist. L. IV. El. II. 35.* Misen. 1739. *de Spiritu sacro Philosophorum Gentilium, speciatim Senecæ, ad ej. Ep. XLI.* Misen. 1739. *de Diis Medicis, ad Ovid. Metam. I. 521. Cornel. Cels. Med. Præf. Misen. 1740.* *de Oculorum compressione, supremæ pietatis & amoris officio, ad Ovid. Heroid. I. 102. & 120.* Misen. 1740. *de Δαδρυοῖς τῆς σοφίας, s. Facigeris sapientiæ, ad Plutarch. π. παιδ. ἀγωγ. c. XIV. §. 18.* Misen. 1740. *de Armigeris, ad Virgil. Æn. I. 192. Ovid. Met. III. 166.* Misen. 1740. *de Igne humanum corpus purgante, ad Ov. Fastor. IV. 554.* Misen. 1740. *Origines Scholæ Misensis, Misen. 1740.* *de Diis in clypeis, ad Virgil. Æn. II. 389. 396.* Misen. 1741. *de Flamma lambente, ad Virg. Æn. II. 684.* Misen. 1741. *de nata e terra prole, ad Liv. Hist.*

Rom. L. I. c. 8. *Misen.* 1741. de *Sertis arboribus sacris suspensis*, ad *Ovid. Metam.* VIII. 126. 148. *Misn.* 1741. de *Virga Circes magica*, ad *Homer. Odyss.* K. 238. *Misen.* 1742. de *Honoribus senibus assurgendi*, ad *Cic. Cat. Maj. C. XIX.* §. 3. *Misen.* 1742. de *veterum lucubranda studio*, ad *Suet. Oct.* c. 78. & *Tiber.* c. 19. *Misen.* 1742. de *Thure & Cereis ad statuas M. Marii Gratidiani*, ad *Cic. Off. L. III.* c. 20. §. 80. *Misen.* 1742. de *Templo Curia*, ad *Sveton. Tranqv. Octav.* c. 19. & 25. *Misen.* 1742. de *Sodalitatibus a M. Cat. maj. constitut.* ad *Cic. Cat. maj. s. de Senect.* §. 45. *Misen.* 1743. de *Clade auctore levata*, ad *Ovid. Metam.* II. 281. *Misen.* 1743. Von dem nützlichen und angenehmen bey Erlernung und Unterricht der freyen Künste, *Meisen.* 1736. Dass Weisheit und Tugend um ihrer selbst willen erwehlet, gesucht und ausgeübet werden müssen, *Leipzig.* 1737. Von des *Jephthah* Gelübde und dessen Erfüllung, ad *Jud. c. XI.* *Leipzig.* 1738. *Exercitationes Philologicae, Academicae & Scholasticae, cum Antiquaria, tum Critica, uno volumine propediem edende.* Plura ut addam angustia chartæ prohibet. Deus laudabilibus Viri Clarissimi, Affinis Honoratissimi, conatibus ex gratia porro quoque adspiret (cc).

ANDREAS SIGISMUNDUS GREENIUS, filius beati Ephori minimus, fratribus doctissimis per omnia similis, patriæ urbi sua adprobat studia, quæ scio, quam sint egregia. Curiam is Chemnitiensem dexteritate sua apprimè ornat, Senatorum civiumque voto exacte satisfaciens, dum Poligraphi consultiissimi munus rite exequitur. Hæc fratrum germanorum triga egregium avum veneratur paternum, Magnificum quondam *Georgium Greenium*, Principi Electori Saxonix a confessionibus & concionibus Aulicis, cujus viri tanta in Eccl. & Republicam sunt merita, quanta calamo exprimere nequeo (dd). Magna de cætero dicendorum offer-

(cc) Hæc & alia erudition. *Greeniana* specimina memorata & adprobata leguntur in der Theol. Bibl. in Lexic. Univ. T. XI. lit. G. in *WOLFFII* *Curis Philol.* in N. T. P. IV. in Apoc. p. 369. in *Leipziger Gel. Zeit.* No. C. p. 593. A. 1738. ib. eod. No. LVII. p. 512. A. 1741. No. LXVI. p. 590. ibid. An. 1742. No. CL. p. 903. in *Act. Academ. Lips. A. 1738. Sect. IX.* p. 210. *Sect. XII.* p. 256. in *Dn. M. BIEDERM.* *Act. Scholast. 1. Band, 4ten Stück.* (dd) Prostat vita *Georgii Greenii* in B. Dn. D. *GLEICHII* An-

offerretur nobis copia, si majorum laudes, munera, merita in transitu quasi attingere vacaret. Haud vulgari nisu ad clarissimorum majorum vero grassatus est exempla *Andreas Sigismundus*, splendidissimo generi splendidissima inesse ratus incitamenta (ee).

**IOANNES GVILIELMUS HILLIGERVS**, die quinto Febr. A. millesimo sexcentesimo octogesimo primo patre est genitus eodem nomine insignito, Ephoro Chemnitienfi pie docto, cujus memoria ad presentem usque diem in populo nostro floret, viget, manet. Nulli labori, nulli studio, nulli curæ pepercerunt Parentes optimi. Pater litteratissimus & Mater *Anna Elisabetha Egerlandia*, Wittebergensis, castissima. Præmature funere efferendus erat autem filius egregiæ indolis, cum in medio studiorum stadio esset constitutus Wittebergæque sacras literas laudabiliter addisceret (ff).

**D. IOANNES ZACHARIAS HILLIGERUS** a Deo donatus est Parentibus impense latantibus die Ianuarii octavo seculi superioris ad finem properantis, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio viraque sua providos exhilaravit Parentes. Magna cura majorique solertia educavit eum Parens & domi & in Ludo litterario, quo major nempe ipsi Excellentissimo Patri litterarum & linguarum notitia inerat. Excepit eum Academia Wittebergensis & non solum docuit illum fideliter, sed & postea ex eius ore facundo diligenter didicit. Summos non solum in Sapientum Ordine, qui Wittebergæ est, impetravit honores, sed demum etiam eodem Ordini Spectabili non sine sua gloria fuit Adjunctus. Avocavit illum tandem Sayda, oppidum Saxonix notissimum, qui locus tribuit doctissimo Hilligero sedem fixam, Ephori nempe munus amplissimum. Quanta Viro Gravissimo insit eruditio, quanta peritia &

Do-

---

nal. Eccl. P. II. p. 507. seq. in Lexic. Erudit. p. 1315. *Georgii Sigismundi Greenii* vita vero ap. *GLEICH*, l. c. in *RANFETII* Leben der Doct. Theol. so im jetzigen Seculo verstorben, & in quinque Programmatibus A. 1741. a me ipso editis &c. (ee) Laudem *Greenii* vide in Progr. *MVLLERI*, quo A. 1733. valedict. ejus indixit. (ff) Vita *B. Joh. Guil. Hilligeri*, Patris, occurrit in tribus Programmatibus *MVLLERIANIS*, vita *Joh. Guil. Hilligeri*, filii, in Or. funebri, habita a *M. CHRISTIANO ADAAMO KOENIGIO*, quæ conc. funebri Patris est annexa,

Doctoris Theologiae titulus & dissertationes Academicae & alii attestantur libri, v.g. *Institutiones Logicae Ecclēticae*, Witteb. 1725. *Psalmodiarum, hymnorum atque odarum sacrarum discrimen*, Wit. 1720. *Vita, fata & scripta M. Valentini Weigelii*, Wit. 1721. *Subsidia attentionis merito & falso suspecta*, Witt. 1723. *Tentamina Poetica*, Wit. 1725. & alia plura. Servet virum eruditissimum, civium nostrorum decus & sidus, Deus diu in ecclesiae emolumentum certissimum.

**IOANNES SEBASTIANVS HILLIGERUS**, Consul Chemnitien-  
sum Spectatissimus, pecuniarum, ceu dicuntur, accisatum, quae  
redeunt Lunaviae & Burgstadii, Inspector Gravissimus, sacro bap-  
tismatis fonte ablutus est die Maji vicelesimo sexto Anno millesimo  
sexcentesimo nonagesimo quinto, regeneratus sic salutariter post  
generationem peccaminosam. In ulnis fovit eum schola patria  
usque ad Septembris diem sextum atque decimum Anno millesi-  
mo septingentesimo decimo tertio, perpolivit Witteberga, juri-  
um penitentiarii notitia eum imbuens. Habuit in jure dicendo ma-  
jores vana laude majores duces & antesignanos quasi egregios.  
Avus & proavus Nostri, *Zacharias Hilligerus* & *Sebastianus Hil-  
ligerus*, consulari dignitate in urbe hac nostra sunt functi, abavus  
vero, *Oswaldus Hilligerus*, & atavus, *Wolfgangus Hilligerus*, Frey-  
bergae Praetoris & Consulis splendida administrarunt munia (gg).  
Veneratur virum hunc doctissimum urbs patria cum curia & ei  
cum conjugē suavissima, nata *Hübleria*, & prole lectissima fau-  
stos exoptat successus.

**IOANNES GUILIELMUS HOLTZMANNUS**, Grimmæ natus,  
Praefectus Daniae Regis potentissimi in Arce Cronenburgica,

**CHRISTIANUS FRIDERICUS HOLTZMANNUS**, itidem Grim-  
mæ in lucem editus, Regis Sveciae in Livonia a libellis secretis,

**GODOFREDUS ELIAS HOLTZMANNUS**, Chemnitii mensis  
Januarii die octavo & vigesimo Anno post partum virginis mille-  
simo sexcentesimo sexagesimo quarto regeneratus, in Schola  
Afra-

---

(gg) vid. *MOLLERI* Theatr. Freyb. Sect. II. Cap. 3. p. 387.



Afrana tanquam Academiæ Candidatus perindustrius in florentissima juventute animam exhalavit,

**CAROLUS FRIDERICUS HOLTZMANNUS**, natus die vigesimo nono Januarii Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo, in verbo Dei prædicando suam collocavit operam, licet locus me lateat. Habuerunt hi fratres fraterno amore sese amplexantes Patrem *Fridericum Holtzmannum*, Culmbacensem, primo Ephorum Grimmanum, quo in loco se sapius dixit *Xylandrum*, deinde Superintendententem Chemnitientem, matrem autem exosculati sunt *Rebeccam Fentschiam*, *Eliæ Fentschii*, Consulis Dreidentis, filiam comtissimam, lectissimam, omnesque paternarum virtutum fuerunt æmuli & laudem assecuti sunt haud vulgarem, siquidem principibus placuisse viris non ultima laus est.

**M. IOANNES HOMMELIUS** &

**M. GOTTLIEB HOMMELIUS**, par fratrum egregium, prodierunt Chemnitii e parentibus in maxima versantibus dignitate, Patre quippe *M. Sebastiano Hommelio*, rerum sacrarum apud nos Antistite laudatissimo, avo artis medicæ peritissimo, *Severino* scilicet *Hommelio*, Pharmacopola experientissimo. Alter horum vitæ usura frui cœpit apud nos Anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, die Maji quarto ac vigesimo, sequenti die sacra unda lotus, alter vero huncce orbem primis adspexit oculis Anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, die Februarii decimo septimo, postera luce Deo per baptismum oblatum. Uterque sacrarum literarum notitia fuit imbutus, Witteberga artes ipsis propinante, uterque etiam sacro perficiendo labori fuit destinatus, quanquam dispari plane fortuna. Frater natu major valetudine non satis gavissus est vegeta, minor e contrario alacerrimo præditus fuit corpore. *Ioannes* commodam diu expectans promotionem, priusquam publico ornaretur munere, matrimonio junxit sibi *Estherem Mülleriam*, civem, ex qua etiam Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto masculum in vrbe nostra suscepit. Jahnsdorffium postea Anno millesimo

sexcentesimo quinquagesimo nono ad Pastoris obeundum accersatur munus & ei usque ad Annum millesimum sexcentimum octogesimum nonum non sine usu praesuit (hh), quo tempore e ratione sua mors avocavit eum. *Gottlieb Hommelius* praematura a Deo exhilaratus est vocatione & ex Academia Wittebergeni Schliebam, ut Pastor gregem Dei pasceret, unanimi consensu est accersitus. Ornavit hanc spartam magna cum fidelitate ab Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo usque ad Annum ejusdem seculi octogesimum quartum & numerosam familiam undecim constantem liberis reliquit.

**M. GEORGIUS LANGEVOIGTIUS** patrem est deveneratus *D. Georgium Langevoigtium*, primo Diaconum, dein Ephorum Chemnitiensem, per septem vero annorum spatium Leisniti, per plures annos Heynæ Pastoris & Superintendentis insignitum titulo, patrisque vestigia ardentem legit. Filius hic Parris beatissimi centum triginta octo conciones in Epistolam Pauli ad Romanos Chemnitii quondam e suggestu sacro habitas Anno millesimo sexcentesimo septimo luci publicæ donavit, sumtus porrigente *Thoma Shürero*, Lipsiensi. Generavit Noster filium sibi cognominem, qui in illustri Schola Portensi olim litteras addidicit (ii). Ortum autem *Langevoigtii* debent Naumburgo, ubi Parens ex tenuioris sortis parentibus fuit progenitus, quibus cum pauperie identidem erat conflictandum.

**L. PHILIPPUS MULLERUS**, Mathematicum apud Lipsienses Professor & Medicus egregius, focer summi Lipsiensium Theologi, *D. Io. Olarii*, cui filiam *Annam Elisabetham* nupriam dederat (kk),

**M. DOROTHEUS MULLERUS**, Diaconus Palæodresdensis, cui urbi jam nomen Neostadii prope Dresdam est inditum,

*M. SA.*

(hh) Non mortuus est A. 1686, uti MULLERUS in Dissertat. quadam de Doctis Chemn. docet, sed A. 1689. quod perrepi ex ore Dn. *M. Chr. Fr. Herckii*, Past. Subst. Jahnsd. nunc Pastoris Zettlitienis. (ii) teste PERTUCH in Chr. Port. L. II. p. 293. (kk) Program. quo funus ejus indicatur, legitur in GOETZII Elogiis præcocium eruditor. vid. & GEORG. ERNEST. SENDLERUM de claris *Müllers*,

**M. SAMUEL MULLERUS**, Pastor & Superintendens Sangerhufanus, Parens *D. Philippi Müller*, Jenensium Theologi clarissimi, & **PETRUS BENIGNUS MULLERUS**, Syndicus civitatis Budissinensis, Patrem agnoverunt *M. Ioannem Müllerum*, Ephorum urbis nostræ laude dignissimum, qui cum matre *Benigna, Petri Lormanni*, Pastoris Wiederaviensis prope Hertzbergam, filia, virtutum splendore coruscante, genuit eos extra Chemnitii mœnia, siquidem satis constat, quod Rector is fuerit Scholæ Hertzbergenfis, Pastor Strehlensis & demum Pastor Oederanus, quo in loco fidi animarum Pastoris sat. diu expleverat partes. Nati sunt ii seculo decimo sexto sensim ad finem inclinante. Avus fuit ipsis *Philippus Müllerus*, Milenz ad S. Afram Diaconus, avia *Dorothea*, quæ cum pio marito in Synergistarum Majoristarumque turbis non leves, magna tamen animi constantia, perpeffi sunt vexationes, insultus, crudelitatem, quos furores *Müllerorum* Parens Strehlæ quoque expertus est, ubi noctu imminente periculo aliquando se subduxit gravidamque uxorem reliquit.

**PAVLVS HENRICVS REHEBOLDVS** num huic seriei esset inferendus, an potius silentio prætermittendus, diu satis dubitavi & quid facerem imperare mihi haud potui, siquidem a scopo aberrare videbar. Insignioris Theologi, *D. Eliæ Reheboldi*, Chemnitienfis primo, postea Osficientium Antistitis celeberrimi, is fuit filius, sed immorigeris quoque & deperditis annumerandus, quod *Ranffius* in libro haud ita pridem edito me edocuit (II). Floruit quidem in florente juventute eruditionis laude elegantiorumque literarum notitia & omnem in eo educando providi Parentes sollicitique Præceptores absumerunt, sed & perpiderunt, operam. Plura in vituperium filii in medio ætatis cursu abrepti ego non addo, de mortuis non, nisi bene, esse sentiendum censens, lectores vero plures circumstantias nosse cupientes ad librum nominatum ablego.

C 2

PAU.

(II) vid. M. RANFFII *Leben und Schriften aller Churfürstlichen Gottesgelahrten, die mit der Doctor-Würde gepranget und in diesem Seculo verstorben sind*, p. 1020. qui hausit hæc ex *Freuchelii* Diprychis Osficientibus.

**PAULUS ROESLERUS**, Collega Tertius in Gymnasio Mannsfeldensi, suos quoque natales Ephoro debet Chemnitienſi, *M. Martino Röſlero*, Belgerano, qvi Cygnea a Diaconi ſparta ad Ephori Chemnitienſis munus ferendum olim fuerat evocatus (mm).

**M. IOANNES RVTA**, *f. Raute*, infeliciffimi Parentis fortunæque procellis undique agitati, *M. Georgii Rute*, Antiftitis apud nos eſt filius. Anno milleſimo quingentefimo ſeptuageſimo ſexto ſacrum Præfulis Pater obierat munus, brevi poſt ob vehementiffimas quorundam auditorum accuſationes atque odium, qui Calvinianorum errores perperam ipſi impegerant, ab officio remorus. Quod autem a turpiſſima iſta labe fuerit immunis, id clariffime ferme reſtatur, quod parvo temporis ſpatio interjecto Paſtor Kohranus in Diœceſi hac noſtra fuerit conſtitutus, & notatu lane eſt digniſſimum, quod a Suceſſore ſuo, *D. Laurentio Drabſtio*, ritu ſolenni fuerit inſtitutus, quod iſi exemplum ſine exemplo appellito, non inique me acturum iudico (nn). Obtinuit filius jam memoratus Diaconi apud Pirnenſes ſpartam, cui fideliter magnaque eum cura ad extremum uſque halitum præfuit.

**IOANNES BAPTISTA RVTA**, *f. Raute*, ex eodem cum fratre præcedente prodiit patre, ut &

**CHRISTOPHORVS RVTA**, *f. Raute*, quorum ille Anno milleſimo quingentefimo nonageſimo ſummos a Philoſophorum in Academia Witteb. Ordine adeptus eſt honores, cui & cives & amici novum titulum ſunt gratulati; hic vero Quæſtoris in Arce Qverfurthana officium impetravit a Reverendiſſimo & Sereniſſimo Principe, *Dn. Chriſtiano Guilielmo*, Archiepiſcopatus Magdeburgenſis Adminiſtratore, ubi uxorem duxit virginem lectiſſimam pudicitiaque laude ornaſſimam, *Dorotheam Eliſabetham Reſchiam*.

**CHRISTOPHORVS ALBINVS SEYFRIDVS**, vir conſultiſſimus ac Senator urbis noſtræ graviſſimus, genus ſuum ducit a viro excellentia muneris conſpicuo, *M. Albino Seyfrido*, Scholæ noſtræ

(mm) Vid SCHMIDII Chronic. Cygneenſ. (nn) Multa huc ſpectantia lege in *M. DAN. MVLLERI Programm. A. 1713. d. 10. Novembr. edito.*

stra Rectore, postmodo ad Div. Jac. Diacono, Archidiacono, Pa-  
store & Ephoro. Innutritus fuit lacte matris nobilissima, *Justina  
Elisabetha, Danielis Valtheri*, mercatoris apud Halentes, filia mo-  
ratisissima, quæ eum Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo  
die Augusti trigesimo feliciter peperit. Non vulgare, non leve  
Patri de tota urbe meritissimo injectum fuit gaudium, cum filius  
juris peritissimus in Amplissimum Senatorum susciperetur Ordinem,  
at enim vero gravissimo etiam percellebatur luctu ipse Pa-  
rens summe Venerabilis, cum præmatura morte A. 1693. tam bonæ  
notæ magnæque spei eriperetur filius. Inique omnino agerem, si  
silentio involverem, quod *Paulus Seyfridus, Christophori Albini*  
avus, Superintendentis munere apud Rochlitenses fuerit ornatus.  
Lætatur hinc Chemnitium, gaudet Rochlitium, quod utraqve  
vrbs inter se habeat sacrum quasi commercium.

D. HENRICUS TETTELBACHIUS, M. *Ioannis Tettelbachii*,  
Ephori Chemnitienfis filius, Patri, si eruditionem, si munus, si  
fata spectes, per omnia similis. Superintendentis præfuit officio  
in Palatinatu superiore, qui, postquam e statione malevolorum  
obtractatorumque invidia fuerat expulsus, quod & Patri Chem-  
nitii obtigit (oo), Francofurtum ad Mœnum suscepit eum &  
inter Doctores suos retulit. Eum Colloquio Ratisbonensi in-  
terfuisse notissimo, notum est inter eruditos (pp). Floret adhuc  
*Tettelbachiana* in *Tettelbachio* plurimum Rev. Diacono  
Roswinensi doctissimo. Matris inscriptio sepulchralis quia ritu-  
lis hodiernis turgidis plane caret; digna est, quæ hic inseratur:  
*An. 1554. den 24. Sept. ist in Christo entschlaffen die Ehr- und Tu-  
gendreiche Frau Barbara, des Ehrwürdigen Herrn M. Johanna  
Tettelbachs, in Chemnitz Pfarrherrns, ehel. Haus-Frau.*

*Barbara, quæ mores pietate ornavit honestos,  
Hic Tettelbachi fida marita cubat.*

(oo) Multa de remotione Tettelbachiana, Chemnitii facta, disputat. B. MULLERVS  
in Progr. d. 14. Sept. 1713, scripto. (pp) vid. die Fortgesetzte Sammlung II. und III.  
Theol. Sachen, A. 1723. p. 341.

Habes hic itaque, Affinis summe Venerande, Amice Svavissime, habes hic, inquam, quædam de Doctis Ephorum Chemnitensium filii, quæ conquirere & reperire mihi licuit. Num reliqui urbis nostræ Ephori, Picus, Sagittarius, Roscius ac Dürrius (qq) genuerint filios, qui Doctis sint annumerandi me latere sponte fateor, quamvis sciam, quod filios filiasque educaverint. Melius autem duxi esse & consultius de re incerta & dubia silere, quam incerta pro certis venditare. Non prolixum autem de vita eorum scribere constitui commentarium, sed nomina illorum saltem ab oblivione vindicare studui. Tu Fratresque Tui egregii, eruditissimi, spectatissimi, non exiguam civibus Chemnitio vel ortum, vel educationem debentibus conciliatis gloriam, splendorem, decus, Servet Te, quæ sunt reliqua, GREENI Doctissime, clementissimum Numen, servet Te, nove Rochlitiensium Præsul, in patria, in ecclesia, in familia, in litterarum emolumentum, ut semper honos nomenque Tuum laudesque mancant.

(qq) Ephori urbis nostræ hoc ordine se invicem sunt secuti; M. Wolfgang Fustus, A. 1539. M. Nicolaus Picus, f. Specht, A. 1551. M. Christian Sagittarius, f. Schütz, 1552. M. Io. Tettelbachius, 1554. M. Martinus Roeslerus, 1566. D. Georgius Lange-Geigt, 1570. M. Georgius Ruta, f. Raute, 1576. D. Laurentius Drabius, 1593. M. Io. Mullerus, 1603. M. Nicol. Roscius, 1609. M. Zachaus Faber. 1611. D. Balihasar Baldunus, 1636. M. Io. Dürrius, 1638. M. Sebast. Hommelius, 1640. M. Christian. Engelius, 1651. L. Elias Reheboldus, 1653. D. Frider. Holzmannus, 1662. M. Albinus Seyfridus, 1676. M. Io. Wilhelm. Hilligerus, 1686. D. Georgius Sigismundus Grecinus, 1706. D. Theodorus Crügerus, 1734.



\* \* \*

**B**eilii votis merito serenis  
Vota conjungo mea, mente prompta;  
Poscit id cordis pietas, amorque  
Exigit istud.

Sorte Tu fausta petis ampliora  
Prætulis sacri loca, nonne musam  
Hinc decet nostram, bona verba dicat  
Votaque sacra?

Euge! Tu nigri genii dolosas  
Machinas pellas animo flagrante,  
At Dei contra stabilire regnum  
Nitere prompte.

Eja! ne cesset Dea sortis ampla  
Fronte jucunda Tibi largiora  
Semper ex voto dare, sis beatus  
Tempus in omne.


In honorem summe Reverendi Greenii, Dn. Hospitis sui Gravissimi,  
candide addidit

**M. Ioannes Georgius Wagnerus**, Chemn.  
Rev. Minist. Cand.









*h. 105,7. X2346247*

*II*  
Ya  
1566

*Q. D. B. V.*

DE DOCTIS EPHORORVM CHEMNITIENSIVM FILIIS  
A G I T

ET  
VIRO SVMME REVERENDO, AMPLISSIMO,  
DOCTISSIMO,

DOMINO  
M. CHRISTIANO SIGIS-  
MVNDO  
GREENIO,

HVC VSQVE APVD KESSELSDORFFENSES PASTORI  
VIGILANTISSIMO,  
NVNC ROCHLITIENSIVM SVPERINTENDENTI  
GRAVISSIMO,

*AFFINI MAXIMOPERE COLENDO,*  
NOVOS HONORES, CIRCA IPSA SACRI MVNERIS  
AVSPICIA,

DOMINICA I. post EPIPHANIAS, A. O. S. MDCCXXXIV,  
CANDIDE GRATVLATVR

M. Ioannes Gabriel Beilius,  
Con-Rect. Lyc. Chemn.

---

CHEMNITII  
LITTERIS STOESSELIANIS.